

nere quod secundo modo se habet, et de se magis inclinatur ad unam quam ad aliam, et capax est illius, quia se habet per modum regulationis perfectæ, et debite ipsi materiæ, ex qua genus illud constat. Quæ materia prout hic determinate talis est non circa omnem virtutem, nec circa omnem bonitatem versari potest, et sic non est capax omnis rectitudinis, nec solum privata est bonitate secundum rationem communem, sed illemet actus etiam in specie, et in individuo prout præbet materiam regulandam rationi, et est actus liber, est capax rectitudinis, quia ordinem dicit ad regulationem rectam; sicut domus male ædificata, et homo monstruosus sunt capaces perfectionis debite, etiam individualiter considerati, quia ex parte suæ materiæ est eis debitum proportionari suæ regulæ, et perfectioni quam talis regulatio postulat.

XXIX. Et cum denique instatur, quia non apparet, cujus rectitudinis fit capax odium Dei, etiam ex parte materiæ, et naturalis entitatis consideratum, quia entitas illius actus est fuga a Deo summo bono, quod nulla rectitudine regulabile est: et infidelitas est dissensus a summa veritate, quia actus etiam entitative consideratus nulla regulatione bona regulari potest, respondetur quod etiam in isto actu ita detestabili remanet aliquid boni saltem ex parte naturalis entitatis actus, quatenus movetur ad fugiendum Deum prout ipsum apprehendit ut sibi nocivum, et afflictivum sui, et fugere afflictionem, ut sic bonum est, est enim quoddam desiderium beatitudinis quantum ad conditiones requisitas ad beatitudinem, quarum una est ut sit satiativa, et delectabilis, unde ratione illius fugit homo omne afflictivum, et tædiosum, illudque odit etiam Deum ipsum, ipsamque

beatitudinem si sibi ut tædiosa representetur. Habet ergo actus ille ex parte formalis motivi etiam aliquid mensurabile, et dirigibile ad bonum, scilicet fugam tædii; et afflictivi apprehensi, quod tamen ita obliquatur, et deviat a ratione, ut hoc afflictivum applicatum Deo, qui est beatitudo in re ita fugiat, ut etiam ipsum Deum sub tali apparentia apprehensum odio velit habere. Et hinc patet cujus rectitudinis sit capax illa fuga, et illud odium; scilicet rectitudinis, quam postulat illud formale motivum, scilicet fugiendi tædium, et afflictionem quando oportet, et quomodo oportet; non indebite, et corrupte, quem rectum modum habet charitas odio opposita.

XXX. Secundo arguitur, quia rectitudo, qua privat homicidium, verbi gratia, est tantum rectitudo justitiæ, et rectitudo qua privat odium Dei est rectitudo charitatis, quia ista peccata non privant omni rectitudine omnium virtutum, sed tantum rectitudine virtutis sibi oppositæ, sed ista non semper debetur actui ergo. Minor probatur, quia illa rectitudo debetur actui, quam deberet homo exercere, si in illo actu non peccaret: sed multoties quando homo peccat non tenebatur facere oppositum actum, verbi gratia justitiæ, vel charitatis, quia non semper currit præceptum exercendum istas virtutes, quando homo peccat contra illas: ergo stat bene quod peccet, et non teneatur ad oppositum actum; ut si quando non currebat præceptum amandi Deum, odio habeat illum. Si autem non tenetur, non est illi actui debita illa rectitudo, si quidem illa est debita ad quam tenetur. Et dato quod tunc curreret præceptum affirmativum operandi actum bonum, tamen ejus transgressio non fit per actum commissionis, sed omissionis, omissio

enim est, quæ frangit præceptum affirmativum. Nunquam ergo datur præceptum apponendi rectitudinem actui pravo commissionis. Et dato quod esset præceptum, non tamen obligaret in isto actu singulari ponere rectitudinem, sed sufficeret quod in aliquo.

XXXI. Confirmatur, quia in illo actu peccati nulla remanet bonitas moralis, quia bonum, et malum non sunt simul formaliter in eodem actu (ut sequenti articulo dicemus) et si aliquid bonitatis remanet, vel est solum naturalis bonitas, vel obediens ad moralem, sicut in cadavere solum manet potentia obediens ad vitam. Neutrum autem sufficit, ut ille actus dicatur privatus rectitudine sibi debita, quia si nullam retinet bonitatem moralem, erit privatus rectitudine in facto esse, non in fieri, quia ut dicit S. Thomas infra quæstione LXXIII, articulo primo illa est privatio in facto esse, quæ nihil retinet de forma opposita; si ergo peccatum nihil retinet de bonitate morali, nihil retinet de forma opposita, et sic manebit privatus rectitudine in facto esse. Unde sequitur, quod omnia peccata sint paria, quia privationes in facto esse sunt æquales, ut docet D. Thomas loco citato.

XXXII. Denique confirmatur, quia sequeretur omne peccatum formaliter esse omissionis, quia importat carentiam rectitudinis sibi debite; ergo in se passive est carens rectitudine, non autem active causat illam, et sic est omissio, quia non agendo; sed in se recipiendo, et patiendi carentiam rectitudinis, privationem habet. Unde ulterius sequitur, quod peccata in eadem materia extreme contraria, ut prodigalitas, et avaritia sint ejusdem speciei, quia carent eadem rectitudine, scilicet liberalitatis.

XXXIII. Respondetur rectitudinem

debitam illi actui non oriri ex eo quod teneatur quis præcepto affirmativo illum actum elicere, quia ut probat argumentum potest quis peccare contra charitatem, aut justitiam etiam tempore, quo non currit præceptum affirmativum. Præterquam quod præceptum affirmativum violatur omissione, non commissione; quando autem aliquis facit peccatum omissionis, ille actus caret rectitudine, et illi erat debita, et tamen non violat tunc præceptum affirmativum, quia commissione peccat, poteratque abstinere ab actu si vellet sine peccato, quod non posset si curreret præceptum affirmativum. Quare in peccato commissionis ille facit contra præceptum negativum. Et dicitur esse debitum illi actui rectitudinem oppositam non debito affirmativi præcepti, et debito directe imposito ipsi actui, posset enim abstinere ab illo, et non facere, sed debito consecuto ex præcepto negativo. Nam hoc ipso quod in materia justitiæ datur præceptum negativum non furandi, et in materia charitatis præceptum negativum non habendi odio Deum, consequitur quod si velit operari in illa materia justitiæ debeat operari secundum regulas rationis, ne faciat contra illud præceptum negativum.

XXXIV. Itaque directe non tenetur absolute facere illum actum justitiæ, et sic non currit hic præceptum affirmativum, sed si velit in illa materia operari, ex hac suppositione tenetur adhibere regulas rationis propter præceptum negativum, quod frangeretur si operando in illa materia, non operaretur secundum illas regulas, sic enim peccatum commissionis faciet, quod est contra præceptum negativum. Per se ergo tale præceptum obligat quis non faciat contra legem in illa materia, sed ex consequenti, et per

necessariam illationem ortam ex ipso præcepto obligatur adhibere rectitudinem non absolute, sed si velit facere actum, præceptum autem affirmativum non sub conditione præcipit ut si velit operari, sic faciat, sed absolute præcipit ut faciat. Præceptum autem negativum directe præcipit ut non faciat tale opus in illa materia. Ex consequentia autem præcipit quod ex suppositione quod velit in ea materia operari recte operetur, quia alias faceret contra præceptum negativum. Unde non requiruntur hic duo præcepta alterum negativum alterum affirmativum, sed unicum negativum sufficit, quod directe tangit prohibitionem actus, ex consequenti autem obligat, ut si velit in ea materia operari recte operetur, quia alias non servaretur præceptum negativum, unde hoc ipso quod obligat ad sui observationem, obligat ad hoc secundum.

XXXIV. Ad primam confirmationem respondetur concedendo quod actus malus nihil retinet de bonitate opposita, sicut ægritudo in se nihil retinet de sanitate: aliud enim est quod subjectum habens ægritudinem possit retinere aliquid de sanitate, ut si est æger pedibus, potest esse sanus oculis, aliud quod ipsummet ægritudo, aut ipsummet peccatum possit aliquid retinere de opposita forma. Hoc secundum non est verum, sed peccatum hoc ipso quod est actus pravus, et privatus rectitudine, nihil in se retinet de bonitate morali.

XXXVI. Cum autem instatur, quod si ita est privatus ille actus rectitudine debita, habebit privationem in facto esse, et non in fieri, negatur consequentia. Non enim consistit privatio in facto esse in hoc solum quod una forma opposita nihil in se includat de alia qua privatur, sed in hoc quod privat aliqua forma dis-

ponente, et habente ordinem ad ulteriorem aliam formam, sicut dispositio ad formam substantialem, sanitas ad vitam. Et quando privatio est circa formam mediam, seu dispositivam, relinquit autem formam ulteriorem, et ordinem ad illam, quem non totaliter tollit, tunc illa privatio potest habere magis aut minus, quia potest magis, vel minus relinquere de ordine ad formam ulteriorem: sicut ægritudo licet tollat sanitatem, et relinquat subjectum non sanum, quia tamen relinquit vitam, quæ est radix sanitatis, et potest plus vel minus accedere, et disponere ad tollendam illam, vel rei relinquendam, ideo respectu hujus formæ radicaliter solum sibi oppositæ dicitur suscipere magis et minus, non quia sanitatem aliquam sit necesse relinquere saltem in ea parte corporis, in qua est ægritudo. Sic peccatum est ægritudo animæ, et opponitur virtuti, seu regulationi rectæ immediate, mediate autem ipsi rationali naturæ quæ est radix regulationis illius. Et ita peccatum dicitur suscipere magis et minus, secundum quod magis vel minus diminuit de ipsa inclinatione naturæ, et opponitur syndæresi, atque naturali ipsi legi, quam totaliter non potest extinguere. Ipsi autem regulationi, et rectitudini actus in se totaliter opponitur, eamque evacuat sicut ægritudo, sanitatem in ea parte in qua est ægritudo, licet non evacuet vitam. Et sic non oportet quod relinquat aliquid bonitatis morali in actu, sed sufficit quod relinquat aliquid de radicali bonitate morali, scilicet ipsam naturam rationalem, ejusque inclinationem ad bonum, quam non extinguit peccatum.

XXXVII. Nec est simile de cadavere, aut corpore mortuo, vel de aere tenebroso, quia in corpore mortuo nulla relinquitur inclinatio, neque

principium vitæ, sed omnino principium vitæ extinctum est, neque in aere est aliquod principium efficiendi lucem, quia hoc solum est in ipso luminoso. Quod autem in corpore mortuo sit potentia obedientialis ad vitam, et in aere diaphaneitas ad recipiendam lucem, non est ad rem, quia neutrum horum facit debitum, neque inclinationem ad formam illam privatam per principium habendi illam, et sic non habet privationem in fieri, sed in facto esse ad talem formam. Si autem non totaliter tollat lucem, ut umbra, hæc suscipit magis et minus, quia solum tollit splendorem intensum lucis, non totaliter ipsam lucem. De quo amplius dicitur infra circa questionem LXXIII. Et sic non sequitur quod peccata sint paria, quia licet omnia privent bonitate sibi opposita, et regulatione debita actui, tamen quia in aliqua materia est privatio rectitudinis magis diminuens, magisque opposita ipsi inclinationi naturali, et legi naturali per syndæresim propositæ quam in alia; ideo magis dicitur unus actus privatus rectitudine legis naturalis, quam alius, et unum peccatum non æquale alteri.

XXXVIII. Ad secundam confirmationem respondetur, peccatum non dici peccatum omissionis ex sola carentia rectitudinis, quam deberet habere, sed dicitur peccatum omissionis ex carentia actus, quia scilicet non facit, aut non vult, peccatum autem commissionis ex positione actus, qui privatur rectitudine sibi debita. Omittere enim est non agere quando potest, et tenetur: committere vero est agere quod non debet, et ideo illa contrariatur præcepto affirmativo, hæc præcepto negativo. Et penes hoc distinguuntur peccatum commissionis, et omissionis, non penes carentiam rectitudinis debitæ, quæ utrique communis est.

XXXIX. Ad id vero quod dicitur de speciebus prodigalitatæ, et avaritiæ, et aliarum quæ sunt extreme contrariæ, respondetur quod licet illæ privationes videantur physice ejusdem speciei, tamen moraliter sunt diversæ. Physice enim attenditur privatio, et carentia alicujus formæ penes realem ablationem entitatis illius. Et sic cum utrumque vitium extreme contrarium tollat eandem virtutem in sua entitate, sicut et omnia peccata mortalia entitatem eandem gratiæ, ex hac parte privationes illæ physicæ conveniunt. At vero moraliter attenditur privatio penes rationem voluntarii, et motivi regulantis per rationem; fundatur enim illa privatio, et imputatur homini ut voluntaria, et sic destruit virtutem, quæ etiam voluntaria est. Et quia ratio voluntarii, et motivum ejus diversum est in prodigalitate, et avaritia; ita et privatio illa ut moralis, et secundum ordinem, et habitudinem ad diversas causas, unde originatur, diversa est, sicut dantur diversæ maculæ peccatorum in eodem homine, quasi diversæ umbræ causatæ a diversis corporibus impediens lucem. Diversitas autem umbrarum, et privationum peccati, non solum attenditur penes rem privatam entitative in se, verbi gratia gratiam, aut virtutem, sed ex parte fundamenti, et causæ, seu motivi voluntarii, unde causatur, ut moralis, et peccaminosa sit.

ARTICULUS IV.

Utrum actus internus possit esse simul bonus, et malus moraliter?

I. Constat ex dictis moralem speciem supervenire actui entitative considerato quasi accidens illius, quia sicut in artificialibus materiæ